SCHEDIASMA
HISTORICO-ECCLESIASTICUM I.
DE
HÆRESI
MARCITARUM,

Qvod
Favente Summo Numine,
& approbante plur. Venerabili Fac. Theologica
publicè ventilandum proponit

JOHANNES HÖJER FEDDERI Fil.
unà Defendente
Nobilissimo & Ingeniosissimo Juvene
JOACHIMO PETRIDE WIELANDT.

In Auditorio



Die 30. Novembr. Anno MDCCVII.

HAVNIÆ, Ex Typographéo Regiæ Majest. & Universit.

Imprimantur,
JOH. WANDALINUS D.

Proœmium.

Nobilitatam jam olim ipſis Eccleſiæ veteris monumentis non minùs, qvàm recentiorum Doctorum diſputationibus qvæſtionem: *An illi, qvi Hæreſium hiſtorias conſignant, & edomita jampridem atq; emortua monſtra qvaſi in ſcenam reducunt, operæ pretium cenſendi ſunt facere?* ita qvidem exiſtimamus noſtræ ætatis Theologorum hinc ſuffragiis illinc exemplis deciſam eſſe, ut de affirmativa nemo ſanioris judicii ampliùs dubitaverit. Fatemur eqvidem recordationem tot Sponſæ cœleſtis vulnerum, qvæ crudeliſſimi *interfectores veritatis* (ità Hæreticos vocat *Tertullianus*,) inflixerunt, maximè luctuoſam eſſe; fatemur ineſſe adhuc poſſe mortiferam contagionem, qvæ *obſcænæ voluptatis lenociniis vel incautos alliciat, vel invitos & repugnantes afflatu nihilominus qvodam turpitudinis & odore perfundat* (1). Verùm ex hiſce argumentis omnem damnare propudiorum ejusmodi memoriam, resq; abominandas verecundo ſilentio obvelare, id qvidem eſt, qvod eruditorum pleriq; improbant. Etenim, ut ne qvid dicam de Theologorum, ex præſcripto Apoſtoli (2), reqviſito, qvi δυνατοὶ erunt τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, qvod certè nec dex-

(1) verba ſunt *Dionyſii Petavii* Jeſuitæ in Præfatione Dedicatoria ſuæ Epiphanii editioni præfixa. (2) Tit. 1. v. 9.

trè suscipi nec ex voto succedere potest, nisi ἀντιλογία Pseudo-Theologorum probè sit cognita, ipsa hoc exigit necessitas, ut, qvod Philosophi in scholis docent, contrariorum eadem sit scientia. Non aliud certè sibi volunt *S. Epiphanii* verba, ad tritum illud simile de Medicinæ objecto, qvod & salutifera & venenata complectitur, provocantis(3): Καθάπερ τοῖς προειρημένοις συγγραφεῦσι διὰ σπουδῆς ἐγένετο οὐ τὸ κακὸν σημᾶναι, ἀλλὰ πρὸς φόβον καὶ ἀσφάλειαν τῆς ἀνθρωπείας φύσεως, εἰς τὸ γινώσκειν τὰ δεινὰ καὶ ὀλετήρια, καὶ προασφαλίζεσθαι, καὶ διαδιδράσκειν σὺν τῇ τοῦ Θεοῦ δυνάμει, διὰ τοῦ προέχειν καὶ μὴ συναμιλλᾶσθαι: — — οὕτω καὶ ἡμῖν τὸ πόνημα, εἰς τὸ ἀποκαλύψαι τῶν δεινῶν ἑρπετῶν καὶ θηρίων μορφάς τε ἀνιαρὰς καὶ δήγματα ὀλετήρια. i. e. ex interpret. Petavii: *Qvemadmodum qvos ante commemoravi, scriptores* (Medici scil.) *non ut malum indicarent ista tradiderunt, sed ut humanum sibi genus caveret, ac securitati suæ consuleret, dum iis, qvæ perniciosa ac lethalia forent, cognitis, opitulante Deo, adversus hæc munire se ac declinare possent, sibiq; providerent ipsi, nec cum noxiis istis rebus experiri vellent: — — sic nos opus istud suscepimus, ut exitialium serpentum, ac bestiarum molestas species, ac lethiferos morsus explicaremus.* Et revera nihil absurdi habebit, si qvis dixerit ipsos Ecclesiæ primæ Heroës, qvi cum tanta Hæreticorum caterva qvotidie conflixerunt, magnam in hoc ipso malo, qvô nullum nocentius, utilitatem & qvasi in virulentis pharmacis salubritatem agnovisse; illa autem qvæ fuerit, ipsius *S. Augustini* verbis (4) exponemus: *Hæretico-*

---

(3) in Præfatione operis sui de Hæreticis, seu potius Tomi 1. lib. 1. §. 3. (4) Epist. 105. circa finem. Videatur Dan. Cramerus Prolegomen. Hæresiolog. Descript. cap. 2. p. 5.

ticorum, inqvit, *inqvietudine, ut Scripturas vigilantius perscrutemur, unde ne ovili Christi noceant, eis possit occurri, tanqvam de somno ignaviæ nostra excitatur industria: Itâ per multiplicem gratiam Salvatoris, etiam qvod inimicus in perniciem machinatur, Deus convertit in adjutorium.* Qvòd si qvis autem Hæreses illas, qvæ multis ante nostram memoriam seculis profligatæ atq; sepultæ jacuerunt, iterum commemorari non ferat, næ ille difficilem admodum moderationem postulat. Si enim hoc certò polliceri posset, opinionum illa portenta, postqvam oppressa & obliterata semel essent, nunqvam emersura denuò vel ex cineribus suis excitanda, aliqvid haberet rationis istud consilium, sed cùm idem Hæresium illarum architectus Diabolus perseveret, cumq; *iisdem artibus & machinis eademq; ad illas instaurandas calliditate ac neqvitia sit præditus*, (ut egregiè qvidam dixit,) adversus redintegrati morbi periculum pristina illa certissimaq; subsidia comparanda sunt. Hoc profectò tempore, qvô emortuas superiorum ætatum hæreses revocatas in lucem ac renovatas qvamplurimas cernimus, ne dubitationi qvidem illi ac qvæstioni locus amplius est relictus. Sed ne longius justo evagemur, misso ulteriore de hisce prologo, ad argumentum Dissertationis nostræ statim accingimur.

CAP. I.

Summarium.

In originem Hæreſeos *Marcitarum* inqviritur. *Valentinus* Hæreticus qvô tempore vixerit? Ex ejus diſcipulis *Marcum* fuiſſe probatur; *Colorbaſum* etiam fuiſſe *Marci* συμμαθητήν. An *Marcus* fuerit ſucceſſor *Heracleonis*, *Secundi*, *Epiphanis* & *Ptolemæi*? *Marci* patria & nativitas ignota. *Hieronymus* notatur. Alii ejusdem nominis Hæretici recenſentur.

MARCITARUM hæreſeos vel MARCOSIORUM (utraq; enim appellatio Scriptorum veteris Eccleſiæ auctoritate nititur, & illa qvidem Latinis (1), hæc verò Græcis (2) familiarior eſt) non qvidem adeò in vulgus notæ, vel Doctorum ſcriptis, niſi qvæ ex profeſſo Hæreſes percenſent (3), freqventatæ, originem paulò altiùs repetentes, ad tempora ipſi Apoſtolorum ævo propiora recurramus. Etenim, licèt nomen & incrementa MARCO Hæreſiarcharum non ulti-

(1) *Auguſtino* de Hæreſib. cap. 14. & aliis. (2) *Epiphanio*, *Irenæo* &c. (3) Prolixè hoc argumentum de *Marco* Hæretico pertractârunt ex veteribus *Irenæus* & *Epiphanius*, breviter admodum & ſtrictim cæteri, *Theodoretus*, *Auguſtinus*, *Euſebius*, *Philaſtrius*, auctor appendicis ad *Tertullianum* de Præſcriptionibus, *Auctor Prædeſtinati*, *Hieronymus* &c. ex recentioribus, præter Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ univerſæ ſcriptores prolixiores *Centuriatores Magdeb.*, *Baronium*, *Natalem Alexandrum*, *Baronii & Centuriarum Epitomatores*, alioſq;, illi, qvi Hiſtoriam Hæreticorum peculiari operâ illuſtrarunt, *Ittigius* de Hæreſiarchus, *Sagittarius* in Introductione ad Hiſtor Eccleſ. *Danæus* in notis ad Auguſtin, de Hæreſ. *Cramerus* in Deſcript. Hæreſeolog. &c.

ultimo (4) debeat, primordia tamen verius ad *Valentinum*, famosum illum, sub imperio *Antonini Pii*, seductorem (5) referenda esse nulli dubitamus. Non qvidem hîc anxiè disputabimus, an præcisè *Johannem* Apostolum & *Ignatium* Patrem ætate *Valentinus* attigerit, qvod ex *Victorino* & *Autperto* in suis ad Apocalypsin Commentariis id tradentibus credit *Cotelerius* (6)? an etiam præceptorem habue-

---

(4) Licèt enim in generali *Valentinianorum* & adhuc generaliore *Gnosticorum* classe locum inveniat cum asseclis suis *Marcus*, minùs tamen id obstat, qvin Hæresiarcha salutari possit, cum & varia dentur doctrinæ ipsius à reliqvorum discrimina, & tantam iis temporibus nominis sui famam (vel infamiam potius) excitaverit, ut peculiari Hæreticorum classi nomem dederit, & propriam (ut sic dicam) scholam aperuerit. (5) Ille scilicet, qvem *præcipuum Christianæ Ecclesiæ vulnus* vocat *Lactantius* lib. 4. Instit. & sectam ejus αἱρέσεως ἀρχὴν *Epiphanius*, qviq; ob repulsam Episcopatûs, qvem ambibat, occasionem arripuit deficiendi ab Ecclesia, ut memorat *Tertullianus* in lib. peculiar. adv. Valent. cap. 4. Idem etiam in lib. de Præscript. vel qvicunq; alius sub nomine Tertulliani ejus hæresiologiæ auctor est, qvæ postremis libri dicti capitibus continetur, affirmat, sub *Eleutherii Pontificatu Valentinum* plusqvam semel Ecclesia ejectum esse, qvod de ipsa *Valentini* persona velle interpretari, perqvam difficile est, non enim vivere tamdiu potuit, sed hæresin ejus potius hic intelligi putamus, publico Ecclesiæ interdicto & anathemate profligatam; vel fortassis error est in loco illo *Tertulliani* qvoad nomen Episcopi Romani. (6) In notis ad epistol. *Ignatii* Valesiis scriptam. Longè verò diversam sententiam fovent *Larroqvanus* in observationib. ad Vindicias Ignatianas *Pearsonii* (hic enim antiqviorem paullò hæresin eam fecerat) pag. 226. & *Dallæus* de scriptis Ignatii cap. 12. Cæterum *Justini Martyris* ætate, & qvidem tum cùm ille

habuerit *Theudadem* Apostoli *Pauli* familiarem, ut *Valentiniani* olim ipsi gloriabantur (7)? illud verò extra controversiam positum est, scholam istius Hæretici inter seminaria qvasi prima exstitisse perniciosorum hominum, qvi venenata & pudenda dogmata incredibili non minùs impudentia qvam progressu longè lateq; spargebant (8). Ex hac etiam prodiit MARCUS ille MARCOSIORUM Pater, *qvo neqviorem ex omnibus Valentini discipulis neminem exstitisse, nec qvi majorem cladem intulerit Catholicæ fidei professoribus*, judicat *Baronius* (9): hausisse enim *Marcum* prima pestiferæ doctrinæ rudimenta ex *Valentino* antiqvorum pleriq; memorant, & dogmatum convenientia clariùs testatur (10). Qvinetiam *Colorbasum* commilito-

---

ille Dialogum suum cum Tryphone conscriberet, innotuisse hæresin illam, probamus ex diserta ejus mentione facta in eodem Dialogo: qvi qvo tempore exaratus sit, utrum sub Hadriano Imp. ut vult *Scaliger* in anim. ad Chron. Euseb. an verò sub Antonino Pio, ut probabilius judicant *Ittigius* de Hæresiarchis Sect. II. cap. 5. §. 1. & alii, jam disqvirere non est hujus loci. (7) teste *Clemente Alexandr.* Strom. lib. VII. p. 549. (8) *Tertullianus Valentinianum* ejusq; asseclas *freqventissimum planè collegium inter Hæreticos* vocat, in principio libri contra *Valentinianos.* Et certè magnum satis eorum catalogum, qvi ex hoc collegio egressi plurima animarum millia seduxerunt, licet ex *Epiphanio* aliisq; colligere. Qvòd verò Hæresis illa latissimè pervagata multas terras inundaverit, Italiam scilicet, Galliam, Asiam, Syriam, Cyprum, Cephalleniam, probavit Nobil. & pl. Vener. *Dn. Jacobus Lodbergius* nostras in Dissertatione de Valentino & Valentinianis sect. 1. cap. 3. (9) Annal. Eccles. Tom. II. ad ann. Chr. 175. n. 23. (10) Qvod ad auctores attinet, sunt illi omnes ferè, qvos supra Historiæ Hæreticor. scriptores

litonem ejus, qvi peculiari *Colorbasianorum* sectæ nomen dedit, indubitatum *Valentini* discipulum, jungunt ipsi *Irenæus* lib. I. cap. 8. & appendicis ad *Tertullian.* de præscript. auctor cap. 50. (11). Protulit eadem schola *Heracleonem* (12), de qvo qvid determinatè sentiendum sit, siqvi-

---

ptores recensuimus, & res dubio caret: Dogmatum etiam tanta est convenientia, ut nullus sit dubitandi locus; licèt nonnulla qvidem in magistri sui præceptis, uti fieri solet, immutârint *Valentiniani*. (11) Nos profectò condiscipulum *Marci* putamus fuisse *Colorbasum*, eosq; unâ eâdemq; ætate, qvantum constat, vixisse, nihil enim refert, ut tamen putant nonnulli, qvö ordine *Tertullianus* vel *Irenæus* eos enumerant, nisi alia accedant argumenta, cùm temporis illi seriem, nec in aliis qvibusdam Hæreticis recensendis, nec in hisce (Valentinum enim nominat post omnes discipulos ejus *Epiphanius*,) observent. *Nicetas* hunc Hæreticum *Colorbarsum* vocat, lib. 4. thesauri orthodoxi c. 8. citante *Ittigio*, sic etiam *Auctor Prædestinati*, si credendum Natali Alexandro, eandem scriptionem eligente. Delira *Colorbasiorum* somnia partim indicata partim refutata vid. apud *Theodoretum* lib. 1. cap. 12. *Augustinum* de Hæres. c. 15. *Epiphanium* hæres. 30. auctor. appendicis ad *Tertull.* de Præscript. c. 50. *Damascenum* de hæres. cap. 35. *Ittig.* de Hæresiarchis sect. 2. cap. 6. §. 5. *Natal. Alex.* sec. II. cap. 3. p. 288. e. *Lodbergium* Dissert. de Valent. sect. I. cap. 5. §. 8. De *Sige Colorbasiana*, qvæ in historia *Marci* nostri memoratur, infra dabitur dicendi locus. (12) Ille est, qvi *Clementi Alexandr.* lib. 4. Strom. p. 369. (citante *Danæo* ad Augustin. de hæres.) δοκιμώτατος τῆς Οὐαλεντίνου σχολῆς dicitur, cujusq; tanta fuit in eadem schola auctoritas, ut facilè nomen suum illi imposuerit, cujus discipulos ob celebritatem famæ ad se traduxerat; sed postea hæresis & auctoritas ejus novis aliorum succedentium dogmatibus obscurata & ambitione *Marcitarum* & *Colorbasiorum* deleta ferè est.

De

qvidem *Marcum* ejus ſucceſſorem nominet *Philaſtrius* (13), non adeò certi ſumus, cùm enim *Valentini* qvoq; diſcipulus fuerit, non putamus *Marco* ſeniorem ſed coævum potiùs habendum eſſe, licet prior forſan ob monſtroſas opiniones, qvarum tamen multæ à *Marcitarum* diverſæ erant, inclaruerit. Ità etiam *Epiphanius* (14) affirmat ſucceſſiſſe *Marcum Secundo*, atq; *Epiphani*, & *Ptolemæo*, *Valentinoq;*, nullo ordine temporum obſervato, cum ille qvi ultimo loco ponitur, reliqvorum non minùs qvàm Marci præceptor exſtiterit. De natalibus verò & patria *Marci* minùs ſolliciti veteres, nulla ne qvidem indicia, qvod ſciam, vel hanc vel illos inveſtigandi tradiderunt; niſi huc trahenda ſint verba *Hieronymi*, qvi *cum de Baſilidis Gnoſtici ſtirpe deſcendiſſe* diſertis verbis memorat (15), ubi an cognationem dogmatum, an verò propriam ſangvinis intelligat? & cur ex Irenæo alle-

De eodem aliàs ejusq; opinionibus varia habentur apud *Philaſt.* de hæreſ. c. 41. auctor. appendicis ad *Tertull.* de præſcript. c. 49. *Clem. Alex.* loc. cit. *Auctor. Prædeſt.* hæreſ. 16. *Pearſon.* in Diſſertat. de ſucceſſ. Romanor. Pontif. p. 230. *Ittig.* de Hær. cap. & ſect. cit. §. 3. *Lodberg.* Diſſ. cit. §. 10. cap. cit. ſunt qvi putant eum fuiſſe *Marco* & *Colorbaſo* ætate poſteriorem, idq; tradere *Epiphanium* dicunt, verùm hæc & multa alia *Epiphanii* verba ad Chronologiam accuratam non facilè trahenda ſunt, idq; non ſemel obſervatum ab aliis eſt. *Epiphanii* verba hæc ſunt, poſtqvam finem fecit loqvendi de *Colorbaſo*: *Colorbaſum excipit Heracleon*, ſcil. in Commentariis *Epiphanii*, non in temporum ſerie. Sed *Danæus* exiſtimat credendum eſſe *Irenæo*, qvi coævum *Ptolemæo* eum videtur facere, qvod & ratione non caret. (13) Hæreſ. 42. (14) Hæreſ. 34. (15) Id *Hieronymus* ex *Irenæo* refert epiſt. 29.

allegaverit ea, qvæ apud ipsum non inveniuntur? aliis disqvirendum relinqvimus, obiter etiam infra & sigillatim nobis dispiciendum. Hoc verò inprimis monitu censemus dignum, minimè confundendum esse hunc nostrum *Marcum* cum aliis ejusdem nominis seductoribus, qvæ fortè confusio *Hieronymum* in errorem duxit, ut qvæ ad alium pertinerent, nostro tribueret. Longè enim diversum oportet fuisse *Marcum*, *Priscillianorum* primum qvem novimus auctorem, qvi infamem *Gnosticorum* hæresin Ægypto profectus in Hispanias intulit, cujusq; auditores fuére *Agape* qvædam non ignobilis mulier, & Rhetor *Helpidius*, uti *Sulpicius Severus* de suæ ætatis temporibus loqvens testatur (16); & post eum *Isidorus* (17). De alio etiam *Marco* impostore, circa eadem fere tempora, legitur, qvem ex eorum numero Hæreticorum fuisse memorant, qvi ab Origene, magno illo Ecclesiæ veteris Doctore, ad saniorem mentem revocati sunt: eam verò observationem *Ambrosio* (18) & ex eo ipsam alleganti *Baronio* (19) debemus.

CAP. II.

Summarium.

Qvibus in locis docuerit *Marcus*? qværitur. In Asia fuisse eum constat. *Hieronymi* locus allegatur, eumq; graviter hallucinatum esse ostenditur. *Danæi* error refellitur.

(16) lib. II. cap. 60. Hist. Sacræ. (17) in libro de viris illustribus, citante *C. Sigonio* nott. ad dict. loc. Sulpitii p. 614. (18) lib. de recta in Deum fide. (19) Annal. Eccles. Tom I. sect. II.

Peculiarem autem disqvisitionem vendicare sibi haud immeritò potest qvæstio de regionibus locisq;, qvibus, dum vixit, abominandæ doctrinæ semina neqvissimus Hæresiarcha insevit. In *Asia* eum fuisse, luculentus nobis testis est *Irenæus* (20), qvi eum *Diaconi Asiani uxorem & polluisse & seduxisse* refert, indeq; in *Galliam* eum transiisse observamus. Qvid porrò de itineribus ejus *B. Hieronymus* memoriæ prodiderit, operæ pretium est cognoscere, cujus qvoq; integrum locum adducemus, ne errores, qvos notabiles admodum commisit, ipsi affingere videamur: Ita verò ille (21): *refert*, inqvit, *Irenæus, vir Apostolicorum temporum & Papiæ, auditoris Johannis Evangelistæ, discipulus, Episcopus Ecclesiæ Lugdunensis, qvod Marcus qvidam de Basilidis Gnostici stirpe descendens primùm ad Gallias venerit, & eas partes, per qvas Rhodanus & Garumna fluunt, sua doctrina maculaverit, maximeq; nobiles fœminas, qvædam in occulto mysteria repromittens, hoc errore seduxerit magicis artibus, & secreta corporum voluptate amorem sui concilians, inde Pyrenæum transiens Hispanias occupârit, & hoc studii habuerit, ut divitum domos, & in ipsis fœminas maximè appeteret.* Miraremur eqvidem, adeò hallucinatum esse gravissimum Patrem, ut ea, qvæ nec alius eorum, qvi hodie exstant, nec unqvam *Irenæus* dixerat, qvem tamen pro se nominat, orbi persvadere vellet, nisi notum esset plura ejusmodi παροράματα, ex memoriæ lapsu pleraq;, apud antiqvos Doctores sese legentibus offerre. Qvomodo enim *Hieronymus* potest asseverare (22), primò ad *Gallias* venisse *Marcum*,

&

---

(20) lib. I. cap. 9. (21) epist. 29. (22) *Hieronymus* non satis habet

Corollaria Defendentis.

I.

Qvòd Abimelech Jud. IX. v. 6. vocetur Rex, cum tamen Judex tantùm fuerit, indicio est, inter Judicum potestatem & Regiam non multum extitisse discriminis.

II.

Etsi distinctio inter Scribas & Legisperitos apud Judæos veteres observetur, dum nempe hos in praxi magis, illos verò in theoriâ Legis versatos fuisse videtur, tamen in N. T. hos titulos promiscuè sumi deprehensum est.

III.

Injurius nimis est in Protestantes, qvos contumeliosè Novatores nostri temporis vocat, Baronius, dum illos dicit ex Ascodrytis & Archonticis Hæreticis didicisse, sancta Ecclesiæ Sacramenta abjicere.

IV.

Qvòd qvidam ex verbis Luc. III. v. 23. ὢν ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ, argumentari velint, Josephum habuisse duos filios Jacobum & Eli, ratione omninò caret, nam verba illa ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ἰωσὴφ parenthesi inclusa, conjecturas ejusmodi inutiles tollunt.

V.

Ineptè nonnulli putant, Philonem meminisse Christianorum eorumqve in Ægypto templorum & Monasteriorum in libro περὶ θεωρητικοῦ, cùm tamen de Essæis gravissimis Christianorum hostibus eo in loco loqvatur.

Præ-

PRÆSIDI conjunctissimo & nobilissimo
RESPONDENTI
de *Marcitarum haresi* differentibus

Ουδὲ δυοῖν Διὸς ἶνις (a) ἐμῦ πλμησε μάχεσθαι,
Ουδ' ἔμεν' Αινέιας, ὡς ἴδε φῶτε δύο (b).
Ταῦτ' ἔφαθ', ὡς σφέτερον μένος ὄμβριμον αἱρέσις εἶδεν,
Ης τε λύπη συγερὰς ἀμφιτίναξε φρένας.
Κέκρυπται ἐν ὁλοοῖο πολύτροπος ὄρχος ἀγήνωρ (c)
Δόγματος, ἐ ῥοπάλοις ἀλλ' ἐπέεσσι δαμείς.

(a) Hercules. *Eurip. Andromach. p. m. 345.*
(b) *Iliad. ε. v. 572.*
(c) *Nonn. in Joh. XVI. v. 35.*

amoris ergo hæc p.
JOH. GRAMMIUS.

Nobilissimo & amicissimo Domino
DEFENDENTI
ità applaudit PRÆSES.

Ergóne, quæ totis connixi viribus olim
Frangere tot sancti vix valuêre Patres,
VIELANDI ingenio didicerunt cedere monstra,
Fractaq; jam teneras pertimuêre manus.
Macte tuis tantò quo nil modò dignius ausu
Viribus & generis nobilitate Tui.
Queque triumphatô spolia ampla paraveris hoste,
Effer & Aonio splendida fige tholo.

Höjer, Johan,
praeses.
Schediasma
historico-ecclesi-
asticum I. de
haeresi Marcitarum
...